DISSERTATIO
DE
PATELLAE FRACTURA.

QUAM
A. D. T. O. M.

PRAESIDE

PETRO CAMPER,

Medicinae, Anat. Chirurg. & Philosoph. Professore.

Publice defendet,

JACOBUS KOOLE,

ZIRICZAEA-ZELANDUS.

Die 1. Julii 1754.

H. L. Q. S.



FRANEQUERAE,

Excudit GULIELMUS COULON, Illust. Frisiae Ord. atque Eorumd. Academ. Typograph. Ord. 1754.

Franeker

VIRIS.

CLARISSIMIS. ERUDITISSIMIS.
CELEBERRIMIS.

WILHELMO. OUWENS.

MEDICINAE. CHEMIAE. AC BOTANICES. PROFESSORI. SERENISSIMAE. AC CELSISSIMAE. PRINCIPIS. MARIAE. LOVISAE. ARCHIATRO. ETC. ETC.

NICOLAO. YPEY.

MATHESEOS. PROFESSORI.

JOANNI. ARNTZENIO.

HISTORIARUM. ELOQUENTIAE. ET. POËSEOS. PROFESSORI.


PRAECEPTORIBUS. SUIS. PLURIMUM. VENERANDIS.

HANC. DISSERTATIONEM. EA. QUA. PAR. EST. REVERENTIA,

DEDICAT.

JACOBUS. KOOLE.

MED. STUDIOSUS.



DISSERTATIO DE PATELLAE FRACTURA.

De Patellae fractura dicturo, non alienum visum fuit breviter exponere, quotuplex ea accidat, qua occasione, quomodo dignoscatur, & qualia remedia maxime tuta, vel periculis opportuna sint. Primum itaque quale sit os, & quomodo cum vicinis conjungitur explicandum.

§. I.

Patella, disci figuram repraesentans, extus sima, intus sinui, qui inter ossis femoris condylos datur, perfectissime respondens, & laevi crustata cartilagine, tota solida est &

mollis: recipiens a parte superiore curaei & recti tendinem communem, & musculi capsularis aliquot fibras; a lateribus autem vastorum Musculorum extrema tendinea. Ab inferiore parte ubi gracilior est, tendinem crassum, latum & valens, qui ligamentum patellae dicitur, quo cum osse tibiae firmiter cohaeret. Undique etiam Ligamento quod genu ambit, inhaerens.

Haec commissurae femoris & tibiae ossis. super innatans, ubi crus extenditur, sursum trahitur & superiori parti sinus ossis femoris incumbit; in curvando vero crure juxta eundem sinum descendit, & ad tibiam magis accedit. Quod a *Ruffo Ephesio Lib.* 3. *de Corp Human. Appell.* eleganter descriptum, a *Cl. Albino* in figuris primo expressum fuit.

Patella igitur in magna genu inflexione cavitatem coeterum deformem adimplet, & Tibiae extensionem multum adjuvat: In sulco enim quasi super trochleam absque attritu movetur, unde musculorum crus extendentium potentia mirifice augetur.

§. II.

Verum ad Incessum si attendimus, patebit, absque reciproca genuum inflexione eum fieri non posse, quin & eodem tempore omne hominis pondus vel in patellam agat, vel in tendinem

nem communem Musculorum crus extendentium, vel in illud ligamentum, quod tibiae patellam adligat. Idque eo majus fore quo ad effectum, quo inflexio genu major est: Oblique enim & a vecte obliquo totius corporis centrum gravitatis sustinetur, quemadmodum evidenter demonstravit *Borellus* de *Mot. Animal. prop.* XL *p.* 37.

Et, si inter omnes possibiles mediam sumimus inflexionem pro exemplo, sextuplo majorem vim edere debent modo dicti musculi in incessu, quam dum idem homo erectus stat. Ponamus itaque hominis robusti pondus 180 librarum, Id sexies auctum 1080 ℔ aequale erit, quibus in genu aget. Tantâ igitur potentiâ patella sursum trahitur, atque simili reactione a ligamento in situ retinetur. Unde manifestum est numerum librarum duplicandum esse, ut cohaesionem determinemus, quae inter tendines & patellam, inter eam & ligamentum, & inter ejus particulas requiritur. Cohaesionis quantitas Itaque exprimi potest per pressionem, quae 2160 ℔ aequalis est.

Praeterea, quoniam persaepe homines sese in prolapsu sustinent, ita ut in humum protinus non decidant, necesse est pondus hoc tam celeri descensu majorem aequirere intensitatem; atque ideo majorem requiri cohaesionem quam in principio statueramus.

Immo longe majori cohaesione opus erit in

iis partibus quando onus humeris imponitur. Bajulus enim facile indorso gestat 200 ℔., quod pondus ponderi ipsius corporis superadditum primo per 6. & deinceps per 2. multiplicandum est. Superare itaque cohaesio debet pressionem 4560. librarum. si minor statuitur ilico rumpetur ligamentum, vel ipsa patella.

§. III.

Quoniam autem vis ponderis & oneris aequabiliter in tendinem communem musculorum Crus extendentium, in ligamentum atque in patellam ipsam agit: manifestum est, si iis sustinendis cohaesio impar est, Rupturam in unâ ex his tribus partibus fieri, non propter hominis prolapsum in terram, sed ante eo momento quo sese titubantem vel prolabentem sustinere vel erigere conatur.

Quam rationem experientiâ confirmant *Ruyschius* & *Petitus*, ille *Obs.* 3. inquit: *Nos* (puellam) *non solum a casu graviori in genu frangi experti sumus, verum sine casu.* Hic in Libro de *Ossium morbis tom.* 2. *p.* 221. testatur, se quamplurimas rotulas sive patellas fractas vidisse propter pedis offensiones, & irrita ad se sustinendum conamina, sine ulla impactione corporis duri in patellam.

Du Verneyi auctoritate insuper uti possem, sed ob-

obſervationes potius proferam, ſequentes.

Obſervatio. Prima.

Amſtelaedami una cum *Cl. Hovio M. D.* virum vidi robuſtum, cui tendo communis cruraci & recti cruris penitus ante aliquot annos in prolapſu abruptus erat, ita ut, genu incurvato, ſinus, in quo patella movetur, faciliime perciperetur, & crure extenſo fovea inſignis Supra patellam conſpicua eſſet.

Incedebat tamen absque claudicatione, gradus ſcandebat, quam faciilime; conquerebatur unice de articuli debilitate.

Flectere vero genu non potuiſſet, niſi uterque vaſtus integer manſiſſet.

Obſ. Secunda.

Arceſſebatur *Petitus* ut patellam luxatam ſupra Condylos oſſis femoris videret: nam de poſſibilitate iſtiusmodi luxationis eum convincere conabantur. Revera patellam ſupra ſinum Oſſis femoris ſitam inveniebat; ſed ulterius examinans detegebat, Ligamentum tibiae patellam, adligans fuiſſe ruptum, atque exinde patellam altius, quam par erat, adſcendiſſe. Quam veritatem Adſtantes etiam confiteri tenebantur. vide De *Morb. Oſſ. tom.* 1. *p.* 313.

Obſ. Tertia.

Du Verney. ibid. Tom. 1. *p.* 394. Similem rupturam deſcribit; Juvenis in deſcenſu duorum graduum prolabitur, genu valde flectitur, ut brevis ſim, ſeſe erigens crus immobile detegit. Intumeſcebat ilico genu, unde non niſi doloribus ſedatis & tumore diſſlato determinare potuere Chirurgi, Ligamentum fuiſſe ruptum. Ad altitudinem enim duorum digitorum ſupra condylos oſſis femoris haerebat patella, relinquens ſpatium inter femur & tibiam vacuum.

Rarior tamen videntur eſſe iſtius naturae obſervationes, quamvis *Vlhornius* in *Not. in Heiſter. p.* 240. *Z.* frequentem eſſe rupturam tendinis cruraei &c. atque ligamenti patellae ſtatuat.

Obſ. Quarta,

Ruiſſchius obſ. 3. exemplum patellae ruptae proferens, his verbis pergit: viſitavi Virum robuſtum qui a ponte deſcendens in terram fere cciderat, uno pede lubrico, reſiſtens tamen quantum potuit in terram non fuerat prolapſus; ſed ab illa reſiſtentia vehementiſſima, transverſem fracta fuit ejus patella, & adeo quidem evidenter, ut inter utramque partem locari potue-

tuerit manus: una enim ſupra, altera intra genu ſentiebatur.

Liquet itaque rupturam contigiſſe propter cohaeſionis defectum; non vero propter colliſionem alterius corporis. Nec mirum, in planitiem enim ſiquis prolabitur, patella humum non attingit, ſed illud tibiae tuberculum, cui patellae ligamentum inſeritur, quod unusquisque in ſe ipſo experiri poteſt. Aliquando hac occaſione utraque patella ſimul rumpitur, ut ante 12. annos Leidae matronae cuidam templum exeunti contigiſſe memini.

Atque haec ratio eſt, ob quam patellae fractura adeo frequens eſt, ut eam in quam plurimis vidiſſe *Petitus* memoriae prodiderit. Raram e contra eſſe ſcribunt *Avicenna*, *Hildanus* aliique. *Veſalius* in *Chir. magna Lib.* 2. *Cap.* XV. ſeſe eam ſemel tantum vidiſſe meminit, unde illud ita viſum fuit magnis iis in arte Viris minus percipio; quia ipſe per multas patellarum fracturas intra paucos annos vidi.

§. IV.

Ruptura patellae a cauſſa memorata, (quae quoad effectum fractura dici poteſt) neceſſario transverſa eſt; quia â duabus ſibi mutuo e diametro oppoſitis potentiis devellitur. Et, quod ma-

magis ſtringit, ita ſemper obſervatur. Non negandum tamen â colliſione oblongam aliquando productam fuiſſe. Nemo enim in dubium vocabit *Stalp. v. d. Wiel Obſ.* 97. *Cent.* 1. *p.* 394. quâ narrat, *ſe Ruricolae e ſuperiori aedium tabulato per gradus voluti, qui genu in ferrei clauſtri januae proſtibuli quandam extremitatem ceciderat, rotulam, qua longior eſt, ita ruptam reperiſſe, ut disjunctae minimi digiti ſpatio a ſe invicem diſtarent partes.* addit, *eum ſanatum fuisſe, ut gradienti nihil obesſe videretur.*

Frequentius tamen, a quacunqua cauſſa oriatur, transver a accidit. quod *Du Verney l. c. p.* 380. Et *Petitus l. c. p* 222. *confirmant.* Super addunt oblongam eſſe rariſſimam, & ſi contingit, ab impactione in corpus durum produci, aut bellicis inſtrumentis. &c.. En *Petiti* verba: *La rotule ſe casſe presque toujours en travers, & il eſt impoſſible qu'elle ſe casſe en long, a moins que la fracture foit compliquée, comme lors qu'elle ſe casſe par un coup de fuſil, un eclat de bombe &c.*

Schenkius Obſ. Med. lib. v *Obſ.* 18. utriusque pedis patellam transverſe fractam, unice meminit. *Hildanus Obſ. Chir. Cent.* v. *Obſ.* 88 patellae in transverſum fractae exemplum adducit: in ſine vero ejusdem *Obſ.* fracturam patellae icti ſclopeti factam & mirum in Modum comminutam atque contritam deſcribit.

Et

Et, ſi quid valet mea auctoritas, ſubjungere poſſum, me huc usque nullam vidiſſe fracturam oblongam, & exceptâ *Stalp. v. d. Wiel* obſervation, nullibi tale exemplum reperiſſe.

Omnes autem, qui patellam in omnem directionem indiſcriminatim frangi ſcribunt, veterum opinionibus nimis addicti, patellam cum aliis humani corporis oſſibus compararunt, & ex ſimilitudine falſò ratiocinati fuere. Et inter eos quam maxime *Hildanus*, quem alii imprudenter ſecuti ſunt. Tanta enim eſt inter reliqua oſſa & patellam diſſimilitudo, ut haec fere ſemper transverſe frangatur, illa vero nunquam. quod alia occaſione demonſtrabo.

§. V.

Ex iis omnibus manifeſtum eſſe mihi videtur Patellae fracturam dividendam eſſe in Rupturam atque fracturam. Neque auctoritate caret illa diſtinctio; *P. Aegineta* enim *Cap.* 103. *Lib.* 6 med. art. princip. *p* 599. exinduſtria ſcribit. *Patitur autem (patella) ruptionem per craſſitudinem, & in tenues partes fractionem cum vulnere, aut ſine vulnere.* ὑπομένει δὲ διὰ πάχους ῥῆξιν καὶ τὴν εἰς λεπτὰ θραῦσιν, vocem ῥῆξιν non adhibuiſſet, niſi has differentias notare voluiſſet. ubique enim rupturam ſignificat; ſic ῥῆξις τοῦ περιτοναίου. peritonaei ruptura. Eodem plane modo apud

Hippocratem. In genere; quoties cunque aliqua pars propter nimiam dilatationem disrumpitur uti in Herniis peritonaeum, in abſceſſibus cutis &c. ῥῆξις ab omnibus graecis adhibetur medicis.

Notat inſuper *Paulus* per craſſitudinem, ideſt transverſe rumpi, διὰ πάχυς. In textu graeco Aldi, & Cratandri legitur διὰ τάχυς *quam celerrime:* quem errorem typographicum in interpretatione Janus Cornarius correxiſſe videtur.

§. VI.

Concludimus, ab inflexione genu nimia vel nimis ſubito factâ, Rupturam oriri tendinis communis cruraei & recti, vel Legamenti patellae, vel patellae ipſius: Eamque ſemper & neceſſario eſſe transverſam.

Fracturam vero ictu externo, patellam graviter feriente, produci, vel quod patella vehementer in corpus durum impingit. Eamque fieri juxta omnes directiones in longum, latum, in partes tenues &c. pro diverſa ictus determinatione in patellam. Transverſam vero eſſe frequentiſſimam.

§. VII.

Cognoſcitur autem ruptura ex cauſſis prae-

gre-

greſſis, ex genu inmobilitate poſt lapſum; maxime vero ex diviſione patellae: una enim pars ſurſum trahitur, altera, quia ligamentum ſeſe non retrahit, quieſcit. Unde tantus ſaepe hiatus, ut unius digiti, aliquando duorum latitudinem ſuperet. Rectius tamen, ſi Medicus dextrâ fragmento ſuperiore, ſiniſtrâ inferiore prehenſo, in oppoſitam partem ea movere poteſt. Vel multum adſe invicem adducendo fragmenta, ſtrepitum, ſive crepitationem audit.

Superaccidit perſaepe tantus ex violenti illa deſruptione tumor, ut ilico poſt lapſum ruptura detegi nequeat, quemadmodum ex *Obſ.* 3. ex *Du Verneyo* deprompta liquet. Ex ſymptomatibus igitur dijudicanda eſt.

Difficilior longe eſt diagnoſis Ruptionis tendinis cruraei & recti cruris, propter tumorem, qui immediate ſubſequitur. Genu vero detumeſcente fovea ſupra patellam deprehenditur; Et ſinus, dum incurvatur, inter utrumque Oſſis femoris condylum facile tactu diſtinguitur. Muſculi quoque ſoluta cum patella cohaeſione ſeſe fortius contrahunt; unde parte media & anteriore inſigniter intumeſcit ſemur.

Ligamentum autem dum abrumpitur, patella ſurſum trahitur, & ſupra ſinum deprehenditur ad altitudinem unius, aliquando duorum transverſorum digitorum. Margo anterior oſſis tibiae tum magis conſpicuus eſt; Et fovea prio-

ri ſimilis, ſed inter commiſſuram oſſis utriusque, femoris ſcilicet & tibiae, obſervatur.

Integra vero, & in utramque partem mobilis in ultimis caſibus deprehenditur patella.

§. VIII.

Eadem plane ratione fractura patellae dignoſcitur, ſi transverſa eſt, uti in ruptione ſcriptum fuit; ſi oblonga, partes itidem a ſe invicem disjunctae diſtant, ſed lateraliter cedunt. Et ita quidem teſte *Stalp. v. d. Wiel* ut digitus minimus inter poni aliquando poſſit. facilius autem adſe invicem adducuntur, & ſtrepitum edunt fragmenta. Paucis & eleganter omnia haec exhibuit ſigna *P. Aegineta* hiſce verbis. *Solutio continuitatis occurrit, & Cavitas, & ſtrepitus.*

In plures partes autem comminuta patella non niſi aegerrime cognoſcitur propter colliſionem & contuſionem, quibus ſubito intumeſcit genu.

§. IX.

DeDiagnoſi ut ut inter ſe conveniunt medici, in prognoſi tamen quam maxime diſſentire videntur. *A. Paraeus.* enim teſtatur *ſe neminem cui patella fracta fuerat vidiſſe qui non claudicaſſet.*

Hil-

Hildanus ex conſideratione difficultatum, quae fracturas patellae concomitantur, concludit, *p.* 486. *ibid. Fracturam patellae in transverſum, & obliquum nulla arte, nullaque induſtria ſine claudicatione curari poſſe. Petitus p.* 223. *tom.* 2. diſtincte non agit de prognoſi, & eam potius fingit. *Ii*, inquit, *quibus rotula reducta non eſt, magnam difficultatem in inceſſu experiuntur, quia praeter ſuccum nutrititium, qui in articuli capſulam ingreditur, mechanismus articuli deſtruitur.* Du *Verney p.* 383. contra, *Prognoſin patellae fractae non infauſtam eſſe*, judicat *niſi forte comminutio adſit.*

Ulhornius Rupturam tendinis Cruraei incurabilem exiſtimat; eam vero ligamenti patellae concreſcere mediante callo, uti tendo achillis. *vid. not. z. in Heiſt. p.* 240. *Du Verney p* 393. *tom.* 1. *in fine. Lorsque le ligament particulier de la rotule ſe caſſe, il n'ya point de gueriſon, il faut de toute neceſſité, que le malade ſoit incommode tout le reſte de ſes Jours.* ideſt. ligamento patellae disrupto neceſſariò aeger per totam vitam patitur, nam incurabile eſt.

Unde nam illa diſſenſio, breviter oſtendam! Pauci ex propriis obſervationibus concluſiones formarunt; quidam nimis ſubito. alii e contra comparatione initâ cum ſimili rupturâ falſa poſuerunt.

Ulhornius v. gr. non indicat, ſe vidiſſe liga-

 men-

mentum fuisse sanatum interpositione calli; sed ex similitudine concludit. *Du Verney* e contra observatione legitimâ demonstrat juvenem, cui id ligamentum ruptum erat, per integrum annum non incessisse; póstea vero eum descendere satis facile gradus, sed scandere non nisi difficulter potuisse; Et parum claudicasse &c.

Si omnes ad tempus attendissent, quo claudi catio desinit, forsan magis inter se convenirent prognoses. Omnes enim pro tempore claudicant, aliquando per annum integrum, aliquando per duos, vel tres & lente robur acquirunt.

Plures ideo examinavi, diu postquam fracta fuerat patella, & sequentia observavi.

Observ. Quinta,

Vidi Amstelaedami virum, cui patella genu sinistri ante quatuordecim annos fracta fuerat. Fragmenta adhuc dum mobilia erant, Et per tendinis speciem concreta. Genu vero extendebat acsi nunquam fracta fuisset patella: Scandebat, genu flectebat, surgebat iterum: immo super eo pede Saltabat quemadmodum super altero sano.

Obs. Sexta,

Eodem tempore Matronae cujusdam sinistri genu

genu examinavi patellam, quae duobus elapsis annis transverse fracta fuerat. Haec scipionibus in initio usa, integrum dein genu recuperaverat robur, & mobilitatem. Ita ut inter illud & sanum nulla fuerit differentia, quam quod fragmenta essent mobilia atque tendine unita.

Cum vero multum ea movebam, superius crepitabat.

Obs. Septima.

Stalpartus v, d, Wiel (vide Cent. I. *Obs.* 89. *p.* 395.) vocatus fuit ad C. de R, cui plateam quamdam transienti obverso insilicem genu, mola, quâ in latum patet, fracta erat. quae ruptura nihil incommodi, postquam per sex hebdomadas probe curata, ac quieta fuisset, incedenti attulit, nisi quod non ita facile gradus scandat.

Ex allata *Schenkii* obs: similiter patet aegrum absque claudicatione incessisse.

Unde Liquet, fracturam transversam, & rupturam patellae saepius absque ulla claudicatione sanatam fuisse: Et eatenus in prognosi errasse *Paraeum*, *Hildanum*, aliosque, quod ad tempus, quo claudicatio desinit, non attenderint: nam initio non modo omnes claudicant, sed & scipionibus sese sustinere coguntur.

§. X.

§. X.

Majoribus vero incommodis opportunam esse patellae fracturam oblongam, sive fissionem scribunt, quia per saepe in anchylosin sive immobilitatem genu desinit, quamquam non semper: Sanatae enim istiusmodi fracturae historiam dedit *St. v. d Wiel* ex Rustico, cujus circumstantias §. 4. exhibui.

§. XI.

Summe autem periculosa est fractura a collisione, immo eo magis, quo major comminutio adest. *Hildanus Cent*. v. *Obs*. 88 *p*. 486. tristem meminit historiam Militis strenuissimi, cujus, patellâ ictu sclopeti fractâ, & comminutâ atque contritâ, post acutissimos dolores, & inflammationes, genu hinc inde cum ligamentorum & cartilaginum erosione exulceratum in meliceram transiit. Tandem post ingravescentia Symptomata, quae eum dies noctes que excruciarunt, Cacochymicus mortuus est.

Symptomata prorsus similia praedicit *Du Verney* in patellae fracturis cum contusione, aut comminutione, praesertim si instrumentis bellicis producuntur: Ulcerationem Scilicet cartilagines & ligamenta destruentem, dein Cariem &c. *Vid. ibid. p*. 383, uno verbo. Veram Celsi meliceram.

Ne-

Neque etiam ea infrequens videtur fuiſſe apud veteres, uti ea Celſo patet, *Lib.* 5. *Cap.* 26. §. 20. De melicera enim agens ſcribit, eam *ferri ex malis ulceribus ubi nervi circa articulos laeſi ſunt, & inter haec loca maxime ex genibus.*

§. XII.

Fractura vero in tenues partes in anchyloſin ſaepe deſinit, Eamque omnes metuunt chirurgi, quoniam callus nulla arte intra limites retineri potuit; ideoque eum luxuriare, articulum adimplere, & primo movendi difficultatem, dein anchyloſin neceſſario producere debere concluſerunt. Sic *Paraeus*, quem *v. d. Wiel*, *Hildanus* aliique ſecuti fuere. Ultimus autem dubitat, an quidem Extuberantia calli talis eſſe poteſt, ut cavitatem (quae inter femur & os tibiae magna eſt) adeo adimpleat, ut motum actionemque genu impedire poſſit?

Du Verney l. c. p. 383. *&* 393. longe accuratius anchyloſis cauſſas explicat. Fieri nempe quando plura fragmenta adſunt; vel ubi ab externâ colliſione patellae ejus cartilago intus contunditur, aut oſſis femoris ea pars tenuis & cartilaginea, cui patella incumbit: Magis enim quam reliquae oſſium partes articuli in fungoſam luxuriant excreſcentiam.

 §. XIII.

§. XIII.

Si in unam ſummam colligimus, quae ex allatis Obſervationibus deducere poſſumus, manifeſtum eſt.

I. Rupturam tendinis communis cruraei & recti cruris non eſſe periculoſam: vaſti enim non rumpuntur. ſed debilitatem inſecuturam, & foveam ſupra oſſa femoris condylos, & contractionem eorum muſculorum.

II. Dubiam eſſe prognoſin rupturae ligamenti, quia obſervationes deficiunt; probabile tamen eſſe absque magna claudicatione, ſed cum debilitate articuli, rupturam eam ſanari.

III. Rupturam patellae nullo modo eſſe periculoſam, ſi modo inter ſe fragmenta non conſolidantur. Pro tempore vero imbecillem fore articulum, & claudicaturos aegros per annum integrum vel plures.

IV. Fracturam in longum ſanabilem eſſe.

V. Fracturam cum contuſione externa, vel interna, vel cum comminutione, articulum rigidum efficere poſſe propter luxuriem calli, & totius articuli; atque ad meliceram diſponere genu, & lethalem poſſe fieri, ſi debito tempore crus non reſecatur.

§. X I V.

Ex Autorum diſſentientium obſervationibus ſatfacile perſpicere poterit B, L. cur varia curatio propoſita fuerit? Quidam enim voluere patellae fractae ſegmenta inter ſe conglutinare, atque ideo ea primo reducere & dein faſciis & quiete in ſitu retinere.

Alii ê contra anchyloſes ſaepe obſervantes, & aliorum metu perterriti ab initio inflectere voluere genu, ne partes inter ſe concreſcerent.

Inter Celebres chirurgos ab utraque parte defenſores videns, Dubius haeſi, quamnam eligerem methodum; donec Cl. *Hunteri* inter Londinenſes Anat. & Chir. Profeſſoris celeberrimi muſaeum attente examinans tres patellas transverſe fractas vidi; quarum figuras delineavi, & adhuc dum conſervo. Hae magnum adferabant Lumen obſervationibus quas ante collegeram. Ideoque quid in iis obſervavi antequam de Curatione ago, exponam.

Obſ. Octava.

Prima erat Patella transverſe fracta, cujus fragmenta multum âſe invicem disſita connectebautur tendine lato & craſſo; qui ab exteriore parte fragmentum ſuperius, quod parvum erat,

rat, ſuper adſcendens patellae inſerebatur, & partim obtegebat.

Inde mihi videtur *Obſ.* 5. & 6. explanari posſe. Immo ſi conſidero, tendines non modo ſupra & infra, ideſt â duplici parte patellae inſeri, ſed & capſulam fortem ab omni parte genu obtegere, atque patellam; non minor fragmenta ita per tendineam, uti vocant, concretionem inter ſe retineri.

Obſ. Nona.

Altera transverſe fracta jam pro maxima parte concreta erat callo, intus ſcilicet, ubi cartilagine veſtitur; ab exteriore autem parte ſulcus transverſus, fracturae certum indicium remanſerat.

Verum callus laevis erat, & cartilagine uti reliqua patella, qua articulum ſpectat cruſtatus.

Argumento, concretionem per callum poſſibilem eſſe absque Luxurie & anchyloſi.

Obſ. Decima.

Tertia itidem transverſe fracta extus concreverat, ſed intus tota patella mirum in modum mutata, eroſa atque deformis erat. Nam non modo luxuriaverat callus & os ipſum; ſed carie quaſi exeſa Erat patella.

Pro-

Procul dubio a contusione cartilaginis caries illa facta est. & *Du Verneyi* prognosin explicare videtur haec observatio.

§. X V.

Unde liquet, in Rupturâ Patellae â nimiâ & nimis subitâ genu flexione concretionem tendineam expectandam esse. Et pro tempore quiescere debere genu, & ad se invicem adduci fragmenta : non, ut inter se concrescant per callum, sed, ne plura ligamenta rumpantur, & ut dolores sedentur &c. quod *Duverney* confirmat. *p.* 385. & 386. *quoique la rotule Soit cassee il reste encore quelques portions d'aponeuroses, qui la tiennent, & que l'on detruit si l'on plie lajambe* &c.

Eadem cautela in rupturâ tendinis communis, vel ligamenti patellae necessaria est.

In fracturâ etiamsi ab ictu externo, si globo sclopetario facta non est; si nulla mala sumptomata super accedunt; eadem indicatio locum habere videtur.

Si autem fractura cum pluribus est fragmentes, si cum contusione valida, & instrumentis bellicis facta : tutius erit, in initio amputare crus supra genu, ne in meliceram, quae praecaveri non potest, incidat aeger, & exhaustis viribus, & depravatis omnibus humoribus certo moriatur. quemadmodum militi, cujus casum §. 8. me-

memoravimus, accidit. *Du Verney* ideo *p.* 384. *il faut dans le commencement amputer la cuisse, c'est ce que les bons praticiens font en pareille occasion, sans ce secours, qui est l'unique, il en coute la vie au Malade après avoir souffert de vives & cruelles douleurs.*

§. XVI.

Sed insuper attendendum est ad successum diversarum methodorum, quibus sanationes fracturarum vel rupturarum tentatae fuerunt, & quae frequentius sanavit, eligenda est. Dein examinandum, an quiete solâ concretio fragmentorum certò accidit, an vero fortuito? De hac re enim inter Chirurgos magna contentio est. Ex sequentibus vero observationibus haud difficile erit concludere, Methodum, quae reductione & quiete per concretionem curam molitur, certam omnino non esse.

Obs. Undecima.

In Nosocomio Londinensi mulier decumbebat propter patellae fracturam transversam, cui per aliquot septimanas vinctura *Heisteri* ad patellam transverse fractam injecta fuerat. Conabar â se invicem lateraliter dimovere fragmenta, sed incassum; concreta enim jam erant. Atque adeo rigidus ar-

articulus, ut jam jam factam anchylosin metuerem.

Obs. Duodecima.

Simili fasciâ in Eodem nosocomio patella Viri transverse fracta per 7 septimanas deligata fuerat. Fragmenta mobilia remanserant, & per tendineam membranam unita, qualem antea descripsi.

His observationibus parum contentus, quia idem curandi modus contrarium effectum habuerat, Cel. *Sharpium* consului; â quo dedici, per paucos dies genu quiescere & cessantibus inflammationis sumptomatibus gradatim inflecti, debere, ut per tendinem patellae partes concrescant, non autem per callum. quia nimis diu quiescere oportet genu, unde saepe rigidum fit.

Peritissimi quoque Chirurgi Amstelaedamenses hâc methodo quotidie successu felicissimo. Transversas fracturas patellae restituunt.

Inter Autores autem *Solingio* excepto nullum Legi, qui de hac cautelâ ex professo agit; monet enim *Cap*. 27. *p*. IV. *Patellarum fragmenta quidem adse invicem adduci, sed aliquando genu inflecti debere ne anchylosi immobile fiat*

Atque Ex istiusmodi observatis peti debere Curationis indicationem credidi; nunc autem quo-

quomodo componi debeat fractura ſive transverſa, ſive oblonga ſit, aut comminuta dicam.

§. XVII.

De fracturâ, vel rupturâ in transverſum dum ex ſignis ante expoſitis Certus eſt Medicus, primum genu extendet, atque Vino, vel aceto cum Oleo Olivarum mixto totum inunget ſi autem contuſio vehemens adeſt, decocto ex cortice quercino Vino Rubro animato fovebit. Contuſiones enim emplaſtra minus ferunt, praecipue in noſtris regionibus.

Mox fragmenta quantum fieri poteſt componet: neque intereſt, utrum ea ſe mutuo tangunt; quia tendineam concretionem promovere oportet. accedit quod contuſio ſaepe eorum appoſitionem impedit.

Deinde ſpleniis, oblongis ſupra et infra fracturam diſpoſitis, & faſciis fragmenta in ſitu retinebit. Quidam autem malunt emplaſtra glutinantia primo imponere & iis ſplenia ſuper accommodare, ne loco cedant Diverſimode autem ſplenia efformantur, atque firmantur. Aliis enim Teſtudo veterum arridet, aliis faſcia ſtellata, quae ſpica eſt, cujus Chiasma patellae incumbit. Quidam Vincturas ſingulares amant; quales apud *Du Verney*, *Petitum*, *Disdier*, *Heiſterum*, *Baſſium*, aliosque deſcribuntur. Easque iterum ca-

canalibus e ſimplici ſtrophilo, vel ſtramine paratis firmant, ut ſecurius quieſcat genu Nonnulli ex metallo machinas idoneas excogitarunt, quales apud *Solingium*, *Petitum*, *Garengeottum* depinguntur.

Eas autem omnes hic deſcribere animus non eſt; perſpicue enim de iis Auctores citati egerunt; notabo tantummodo ſimpliciores eſſe optimas. Forſan conjicere poſſemus an quidem ulla abſolute neceſſaria ſit; non enim deſunt obſervationes fracturarum ſimilium quiete & Naturae beneficio ſanatarum.

Illa *Heiſteri* frequenter in uſu eſt, & ſatis ſimplex.

Genu exarte deligatum tandem ita in lecto diſponet, ut undique retineatur & quiſcat una cum crure, cujus extremo pulvinar ſubjiciendum eſt, ne fragmenta nimis â ſe invicem dehiſcant.

Atque, hoc modo per aliquot dies, plures paucioresve pro re natâ genu relinquet, donec detumeſcat, aut inflammatio ceſſat. Tum leniter inflectet genu & quidem in principio parum deinceps vero magis: nam vehementer dolet articulus dum poſt longam quietem ſubito movetur. Idque per aliquot ſeptimanas continuandum eſt.

Quinquaginta dies pro formando callo ſtatuit *Petitus ibid. p.* 230. demonſtravimus autem

tem

tem tutius esse, per tendineam concretionom curam moliri, atque ideo aegris scipiones dare vellem, ut citius deambulare possent. Iisque etiam diu uti necesse est, ne de novo disrumpatur genu.

Quae de fracturae curatione dicta sunt, rupturis tendinis musculorum crus extendentium, atque Ligamenti patellae apprime conveniunt.

§. XVIII.

Patella autem in longum fracta uniente fascia, & spleniis patellae lateribus appositis facile adsanationem perducitur; vel Sceparno, quam fasciam. asciam ad genu alii vocant.

§. XIX.

Vix ullam medelam admittit fractura in tenues partes, exceptâ illâ, quae omnibus fracturis cum fragmentis idonea est.

Inflammatione sedatâ diu quiescere debet genu, ut inter se concrescant partes & femur, cum tibia in directum. Absque anchylosi enim nunquam Sanatur; & si eo fractura perduci potest, felicissimus aeger dici meretur.

In directum autem inter se debent crus ferrumi-nari & femur, quia melius incedere possunt, & ad

ad quaevis exercitia magis apti ſunt, quam ſi ad angulum rectum oſſa interſe committuntur. Scipionibus enim tunc ſemper indigent aegri, vel crure artificiali.

Et eum ſitum, ſi ſibi relinquitur, genu ſemper acquirit â muſculis flexoribus, qui fortiores & valentiores ſunt extenſoribus, quando punctum ſuum fixum amiſerunt.

Si autem ad Meliceram ſeſe genu diſponit, Crus quantocyus abſcindi debet ſupra genu, ſecus vires deficiunt, humores depravantur, & moriuntur.

FINIS.

E R R A T A.

pag. 4. lin. 18. putellam, *lege* patellam.
pag. 6. lin. 1. Du Verney *ibid.* lege. *de morbis ossium.*
ib. lin. 11. Rarior. *lege* Rariores.
ib. lin. 21. transverſem. *lege* transverſe.
8. lin. 19. a monis *lege* ámoins.
9. lin. penult: ſic *lege* Sic.
10. lin. 13. legamenti *lege* ligamenti,
11. lin. 12. deſruptione *lege* diſruptione.
17. lin. 2. ea Celſo *lege* ex Celſo.
ib. lin. 7. definit *lege* deſinit.
19. lin. 18. ferabant. *lege* ferebant.
20. lin. 6. feri *lege* Seri.
ib. lin. 7. non minor *lege* non miror.
13. lin. 10. dedici *lege* didici.

THESES DEFENDENTIS.

I.

Vulnera Cerebelli mox ab inflicto vulnere non sunt lethalia.

II.

Vulnera Cordis, quamquam lethalia, mortem tamen subito non semper adferunt.

III.

Pulsum â contractione arteriarum dependere nondum demonstratum est.

IV.

Epidermidem vasa habere, affirmamus.

V.

Foetum in utero per os nutriri prorsus impossibile est.

VI.

Rachitis cum Lue Venereâ nihil commune habet, neque ab ejus labe oritur.

AD AMICUM.

Littera quid portet, si quaeras, illa salutem
Portat, & ingenii pignora certa mei.
Quam possum brevis esse volo : brevitate placemus;
Longa decent longos carmina, parva breves.
Non ego consuevi limâ mordaciter uti.
Carmina sunt animi liberioris opus.
Non petimus Schyticis florentia serta camoenis.
Nostra canit sparsis horrida Musa comis.
Addere Tu laudes Tibi non permittis, amice,
Digna foret probitas laudibus ista Tuis.
Carminibus stimulare meis Te forte licebit.
Pone metum subito, res jubet, arma cape.
Nobilis adstrictas sonipes bene noscit habenas,
Ad sibilum domini subsilit ille sui.
Tenta semel turgent minimo dum carbasa vento
Praeterit egressas tuta carina rates.
Qui didicit socio nutus conferre loquaces
Membra quot, in membris tot gerit ora suis.

Quid

Quid non sentit amor? quid non sensistis amantes?
  A minimo trahitur mens generosa sono.
Nos quoque Te gracili calamo stimulamus Amice.
  Verba queunt magnos flectere saepe Deos.
Quid trepidas? aude Magno praeeunte Magistro,
  Ille dabit linguae verba diserta Tuae.
Cedis an obduras? dic quid Te COOLE moretur?
  Terror an ingenium res gravat illa Tuum?
Sub Duce quid Magno trepidas? expelle timorem.
  An nescis vigiles esse solere Duces.
Praeses erit CAMPER vel solo nomine magnus,
  Tu minor, hoc uno nomine tutus eris.
Nascimur in docti, multo mansuescimus usu,
  Nil sine sollicito vita labore dedit:
Sudandum, noctes etiam vigilentur amarae,
  Dum celer in calido corpore sanguis erit,
Mox veniet tacitis pedibus ruitura senectus,
  Qua subeunte brevis, quæ fuit, hora ruet.
Pulchra senem recreant vernantis facta juventae,
  Sic suevit puerum me stimulare pater.
Felix qui vitae fugientis damna recenset,
  Et discit monitis doctior esse suis.
Tu praepone Tibi chari mandata Magistri,
  Ille tenet rectam laudis ad astra viam.

Sic,

Sic pede quo pergis ſtadium decurrere ten[illegible],
Nec facias patriae vota caduca Tuae.
Dum licet in longa, Juvenes, luctemur arena,
Praemia non dubii certa laboris erunt.

PAULUS SZATMARI.

LOKWINSCK
OON
JAPIK KOOLE

Da Hy iepentlyk Disputearre dy earste fenne Heamoanne. 1754.

Sil dan myn Sjongfaam neat in bortlig Deuntje rymje
Nou Koole disputearret,
In uit syn Schrândre Holle al 't tjuestre straks forklearret.
Het oors? wy moatte in bytje by elkorem lymje,
Al is 't ienfâdig Sljuecht in rjuecht:
In litte 't oore oer, waems Sjongfaam heager sljuecht,
Om KOOLES Lof te fieren yn de Wolknen op
'T Is better onbedreun by 't Fokje as 't Zeyl yn top.
Myn Sjongfaam sil har mey in Rymke forgenoegje,
d'Oprjuechte winsck is better,
Schien trogienfâdig, as 't heagljeapjende geklette:
Fen Stoffers dy mar wurden by eltjorum foegje,
Ja passe of neat: ik ljeuw eak Frjuen
Dat nimmen jou formakket mey sân grutsken drjuen;
In dat d' opriuechtheit fen in ruwne ienfâdge Boer
Jou Swieter is as heage wurden sonder stjoer.
Ik winsk dan, wirde Frjuen? (want fen it disputearjen
Kin ik neat folle sisse

Dear hab 'k nen witnisſen, dat lit ik oorc uytliſſe)
Dat Y mey Lof bereikje 't eyn dat Y bejearje,
In dat Y meyje yn koarte tyd
(As dat ſoa kaam, myn ljeave Frjuen! het wier ik blyd?)
In Pisbeloytſer woarde dy ſyn wurk forſtiet;
In dy 't mey 't dokterjen ney winsk in wâde giet.

N. T. T. N.